

194. **O. microphyton** Kränzl. n. sp. — Planta parvula. Radices quam ipsa multoties longiores inter muscos semioccultae. Pseudobulbi ovoidei, subtetragoni, sulcati et costati, monophylli, 8 ad 9 mm longi, basi 6 mm crassi, cataphyllis 2 vel 3 vaginantibus suffulti. Folium (unicum mihi visum) e basi breviter complicata lanceolatum, acutum, curvulum, satis crassum, ad 2 cm longum, 2 ad 3 mm latum. Pedunculus filiformis, 1- ad 2-florus, leviter fractiflexus, ad 4 cm longus, bracteae lineares, 3 mm longae, pedicelli cum ovariis 5 mm longi, filiformes. Sepalum dorsale lanceolatum, leviter concavum, acutum, lateralia unguiculata, lanceolata, acuta, omnia breviter apiculata, 4 mm longa. Petala breviter unguiculata, obovata, obtusa, 4 ad 5 mm longa, ad 2 mm lata. Labellum breviter unguiculatum, toto ambitu panduratum, lobi laterales margine posteriore repandi, ceterum rectilinei, obscure trianguli, apice rotundati, ab intermedio ceterum vix sejuncti, lobus intermedius antice bilobulus, lobulis divergentibus, rotundatis, crista labelli basi linearis, minute velutina, antice quinquedentata, dentibus divergentibus, totum labellum 6 ad 7 mm longum, basi 6 mm, antice 9 mm latum. Gynostemium sepalum dorsale subaequans, alae maximaee lobulatae.

Subäquatoriale andine Provinz. Costa Rica (Endres!).

Nota. Graviter fero, quod gynostemii characteres accuratius examinare mihi non licuit; unicus flos praestat, quem examinando destruere ausus non sum, eo minus, quod descriptione earum partium, quas disserui, speciem esse novam appareat. Est revera minutissimum *Oncidium*, minus etiam quam *O. usneoides* Lindl. et *O. Heneckenii* Lindl. — Alae gynostemii forma et magnitudine cum illis optime quadrant, quas in *Ornithorhynchis* typicis observamus, lobuli lobi intermedii eodem curvamine divergunt, quod in pennis *Tetraonis tetricis* (Spielhahnsfedern) conspicendum.